

hoc non ad rationem voluntarii, sed ad imputabilitatem, vel moralitatem actus spectat.

DISPUTATIO IV.

DE INVOLUNTARIO, EJUSQUE CAUSIS.

ARTICULUS I.

An voluntas possit violentiam pati in suis actibus, et quot modis?

I. Sicut voluntarium causatur ex duplici principio, scilicet ex appetitu operante, qui est principium intrinsecum, et ex cognitione dirigente: ita oppositum ejus, quod est involuntarium, oportet quod causetur ex oppositis principiis, scilicet, vel quia operatio est a principio extrinseco, sicut violentia, et metus; aut quia tollitur, vel ligatur, aut turbatur cognitio, sicut fit per ignorantiam, et passionem; et ideo de his omnibus in ista disputatione inquirendum nobis est, incipiendo primum a violento in isto articulo, et deinceps de aliis.

QUÆDAM NOTANDA.

II. Multa, quæ hic late solent tractare expositores præsupponenda a nobis sunt, quia relinquuntur tractata in secundo physicorum, et ideo sufficit nunc indicare illa.

III. Supponimus primo, definitionem violenti, quam tradidit Aristoteles II ethicorum, cap. I, his verbis: « Violentum est id, quod habet principium extra nihil conferens eo, cui vis illata est. » Quod aliis verbis solent alii dicere: « Quod violentum

est a principio extrinseco passo non conferente vim, » id est, non influente passo per propriam virtutem in operationem violentam. Quæ definitio etiam traditur a Damasceno, et Nysseno, communiterque acceptatur a theologis. In ea autem inveniuntur duæ conditiones requisitæ ad rationem violenti. Prima, quod principium violentiæ sit ab extra: quod enim intra ipsum operans est, non infert violentiam, nec repugnantiam, sed naturaliter convenit; principium enim intrinsecum naturale, et proprium est. Secunda conditio est, quod passum, seu res illa, et subjectum, cui violentia fit, ita patiatur illam, quod non conferat vim, id est, non adjuvet, neque influat per suam virtutem, seu vim, sed neque consentiat motui violento, sed resistat, aut repugnet. Nec sufficit passum pure negative se habere sustinendo motum alterius, et obediendo illi, sed requiritur repugnantia, et resistentia saltem per oppositam inclinationem, alias dona supernaturalia gratiæ, quæ nobis infunduntur, essent violenta, quia principium a quo provenient est extrinsecum infundens illa, passum autem, scilicet anima non confert vim ad talem infusionem, sed mere negative se habet in recipiendo, quia recipit illa per solam potentiam obedientialem, quæ est mera non repugnantia, sed quia non resistit, nec habet inclinationem in oppositum, non dicuntur violententer introduci talia dona.

IV. An vero philosophus nomine violenti comprehendat etiam illud, quod est præter naturam, et non solum contra illam, sicut quando ignis movetur circulariter, quod quidem est illi ab aliqua sui impressa ab extrinseco, non tamen est contra ejus inclinationem, sicut moveri deorsum, sed præter illam, non est tanti momenti, quia ut diximus

quæstione nona physicorum, articulo quarto, in fine. Philosophus in illa definitione allata accipit violentum lato modo, prout etiam comprehendit præternaturale, quod quidem est a principio extrinseco sine influentia, aut conduentia ex parte passi, etiamsi non habeat repugnantiam, aut inclinationem contrariam. Violentum autem stricte dictum, prout de eo loquimur in præsentia, dicit aliquid illatum contra repugnantiam inclinationis, sive naturalis, sive voluntariæ. Nec tamen sicut includitur præternaturale in definitione violenti tradita a philosopho, ita includetur supernaturale, quia hoc licet infundatur non repugnante, sed obediente natura, tamen quia facit operari juxta modum naturæ, elevando ipsum principium intrinsecum, ut vitaliter, et voluntarie operetur, ideo non includitur in præternaturali, et violento, sed super ista est.

V. Secundo supponimus ex dictis citato loco in quæstione nona physicorum, violentiam posse inferri, non solum principio activo, vel formali resistenti, sed etiam passivo, quod etiam resistere potest quando fit in illo aliquid contra ejus naturalem inclinationem. Contrarium hujus sentit Vazquez hic disputatione xxv, capite III, putat enim principium mere passivum, verbi gratia, materiam primam proprie, et in rigore non esse naturam, et consequenter nihil illi esse violentum, licet videatur illi contrariari, quia non est contra naturam. Sed contrarium fundamentum nempe non requiri ad rationem naturæ principium activum, sed sufficere passivum, quale est in materia prima, omnino est constans apud Aristotelem, et D. Thomam, ut ibidem ostendimus. Unde ipse sanctus doctor VIII physicorum, lectione VIII, reprehendit aliquos, qui dicebant, de-

bere poni in materia principium activum, ut motus ejus esset naturalis, sed dicit sufficere ad hoc principium passivum; ergo hoc sufficet, ut materia sit natura, si sufficit ut motus ejus sit naturalis. Et ita concludit ibi D. Thomas: « Esse contra intentionem philosophi, quod in materia sit principium activum, quod quidam dicunt esse necessarium ad hoc ut sit motus naturalis, sufficit enim quod sit passivum, quod est potentia naturalis ad actum. » Quare si principium passivum sufficit ad rationem naturæ, etiam sufficet ut sit capax violentiæ, quia violentum est contra naturam a principio extrinseco, et ita quidquid contrariatur principio passivo in eo quod passivum est, erit ei violentum. Posse autem contrariari aliquid principio passivo patet, quia etiam in quantum passivum habet inclinationem, et appetitum, tum ad formam, ut informetur; tum ad agens, ut ei obediat, et ab eo patiatur: unde et materia prima intrinsece in se est appetitus ad formam. Ergo si removeatur principium passivum, et impediatur a tali inclinatione, et a consecutione sui appetitus, patietur violentiam, et repugnabit, quantum illa potentialitas possit, tali impedimento; si quidem inclinatur in oppositum, et quantum est ex se conatur non retinere tale impedimentum ratione improportionis suæ passivæ receptibilitatis ad tale activum, vel ad talem statum. Ut verbi gratia si materia proxime disposita ad unam formam impediatur, ne obediat naturali agenti in recipiendo illam, aut si posset materia ab omni forma separari, talis status denudationis esset ei violentus, quia inclinationem, et appetitum habet ad formas. Quod totum citata quæstione nona physicorum declaravimus, et infra iterum attingemus.

VI. Ex hoc autem a fortiori sequitur, quod principium activum pati potest violentiam, quando resistit, et repugnat suo opposito. Et manifestior est repugnantia, seu conatus in oppositum in principio activo, quam in passivo, quia principium activum resistit operando, et agendo, atque adeo destruendo contrarium; principium autem passivum, ut tale non resistit operando, et agendo, sed tantum improportionatum se exhibendo alicui activo, vel formæ, aut statui sibi intruso contra propriam inclinationem, ipsa enim improportionem, et dissonantiam quasi a se repellit, et resistit, nec illi conjungitur, nisi repugnanter. Sed quia principium activum simul est formale, eo quod forma est principium agendi, non est difficultas quomodo in ratione formæ, seu principii formalis possit fieri violentia, nempe si opposita forma introducatur, et ista resistat suæ reductioni, quia repugnantiam, aut incompatibilitatem habet cum illa.

VII. Sed difficile est intelligere, quomodo forma, seu agens possit pati violentiam in agendo, quia si agit, jam actio egreditur ab agente, et non a principio extrinseco, quia non potest impedire ne egrediatur actio, et sic actio illa non est violenta, quia non est a principio extrinseco, licet principium extrinsecum conetur impedire. Si vero non agit, hoc ipso non violentatur in agendo, sed manet sicut antea, quando nec violentabatur, nec operabatur. Solum ergo potest violentari in agendo, si obligatur agere contra propriam inclinationem, puta si inclinatur ad quiescendum, et cogitur vigilare, vel operari; aut si inclinatur ad operandum hanc operationem, et cogitur operari aliam contra suam inclinationem, talis actio dicitur esse a principio extrinseco non quantum ad suam egressionem, sed

quantum ad dispositionem, qua in actu primo disponitur ad operandum sic. De hoc dicemus amplius infra, tractando, quomodo voluntas, et aliæ potentiæ in eliciendo actus suos possint pati, vel non pati violentiam.

VIII. Tertio notandum est, quod in hac materia utimur quatuor, vel quinque nominibus, quæ aliquando videntur confundi, et pro eodem accipi, sed tamen differunt secundum diversas formalitates: sunt autem ista: Necessarium, violentum, coactum, involuntarium, impedimentum. Differunt autem sic: Necessarium dicitur prout opponitur contingenti, seu indifferenti: et importat determinationem ad unum excludendo facultatem ad oppositum. Violentum includit quidem eandem necessitatem, et determinationem ex parte ejus, qui patitur violentiam, sed addit supra necessarium, quod sit a principio extrinseco, quia a proprio, et intrinseco nihil violentatur: cum tamen possit aliquid fieri necessario, et tamen esse a principio intrinseco, ut patet in brutis, et in motibus primo primis. Coactum fere est idem quod violentum, sed proprie loquendo coactum solum opponitur spontaneo, seu voluntario. Et ideo solum invenitur in cognoscentibus, violentum autem etiam in rebus inanimatis, ut cum lapis projicitur sursum. Involuntarium videtur aliquando sumi pro coacto; sed tamen quia potest involuntarium contingere, non solum ratione violentiæ, et quia est a principio extrinseco, sed etiam ratione ignorantiae ex defectu cognitionis: ideo involuntarium plus importat in tota sua latitudine, quam violentum, vel coactum, scilicet quidquid opponitur procedenti a voluntate, et a regulatione ejus, quæ est cognitio. Denique impedimentum significat detentionem facultatis, seu poten-

tiæ, ne possit exercitium habere. Et alii putant impedimentum solum dari respectu alicujus operationis, necessarium autem, vel coactum posse dari, tam respectu operationis, quam cessationis ab ipsa, sed tamen ego non video, cur non possit aliquis impediri a quiete, vel somno, quæ non sunt operationes. Sicut per infirmitatem impeditur aliquis, ne dormiat, et per aliquem dolorem, vel aliam causam impeditur, ne sedeat, vel quiescat. Potest tamen dari impedimentum, tam respectu motus naturalis, quam violenti; tam in cognoscentibus, quam in non cognoscentibus. Potest enim lapis impediri, ne descendat, et sic impeditur motus naturalis, et potest impediri, ne ascendat, ut cum sursum projicitur, et detinetur, ne ulterius transeat, et sic impeditur motus violentus in non cognoscente. Potest etiam impediri homo, ne ambulet, et sic impeditur motus cognoscentis.

IX. Quare impedimentum latius patet quam necessarium, quia necessarium solum opponitur contingenti, seu indifferenti; impedimentum autem cuicumque potestati expeditæ, sive necessario operetur, sive contingenter. Necessarium vero latius patet, quam violentum: quia omne violentum est necessarium ex parte patientis violentiam, non tamen omne necessarium est violentum, ut quando agentia necessaria operantur ab intrinseco. Denique, coactum est inferius ad violentum; quia omne coactum est violentum, non tamen omne violentum est coactum, sed solum quando opponitur spontaneo, seu voluntario; et ideo solum invenitur in cognoscentibus.

X. Ultimo revocandum est in memoriam id quod citata questione nona physicorum, articulo quarto, advertimus, quod aliquando in eodem

motu concurrunt utraque ratio, scilicet violenti, et naturalis, aut voluntarii, quasi quoddam mixtum ex utroque, non quidem respectu unius, et ejusdem principii, sed respectu diversum, quia contingit unum, et eundem motum dependere, seu respicere plura principia, quæ in illo concurrunt, et respectu unius induere rationem violenti, respectu alterius rationem naturalis, vel voluntarii, sicut quando animal movetur motu progressivo, in quo elevatio pedis est violenta respectu gravitatis, et est naturalis respectu vitæ; et in his, quæ fiunt ex metu datur voluntarium simpliciter, et absolute, et aliquid violenti invenitur respectu causæ incutientis metum.

XI. Cæterum quoad denominationem, simpliciter denominatur ille motus voluntarius, vel violentus, aut etiam naturalis a forma prædominante: verbi gratia in his, quæ fiunt ex metu, licet videatur coactio intercedere, quia extra illum casum timoris voluntas repugnet sic operari, tamen quia de facto non repugnat, sed consentit, et vult cedere timori, simpliciter est voluntarium. Et in motibus concupiscentiæ, si voluntas resistat, illi motus sunt simpliciter violenti, licet sint naturales appetitui sensitivo, quia principalior forma operans in homine est voluntas, et hæc non consentit, et sic non est voluntarius ille motus: sicut etiam in naturalibus quando aqua calefit, ille motus est violentus aquæ ratione suæ formæ, est tamen naturalis materiæ, quatenus disponitur per calorem ad generationem. Et quia generationes ordinantur ad finem universalem conservationis universi, simpliciter ille motus dicitur naturalis: quia generativus est per se, et directe, et non violentus, licet sit corruptivus aquæ. Similiter in homine, si cor-

pus uritur, illa combustio est naturalis in quantum generativa ignis, et tamen est violenta, et dolorosa homini, quia repugnans.

XII. De motibus autem primo primis, qui præveniunt omnem advertentiam rationis, et consequenter omnem inclinationem voluntatis, dicendum est, quod in illis non invenitur voluntarium simpliciter, et perfecte, quia anteverunt voluntatem liberam, quæ solum præbet rationem voluntarii perfecti. Neque etiam tales motus sunt violenti (licet aliqui oppositum teneant) quia non sunt cum aliqua repugnantia, neque ex parte voluntatis, quia nondum advertit, neque operatur contra illos, neque ex parte appetitus sensitivi, quia potius elicit connaturaliter illos motus: nec sunt contra physicam naturam, seu appetitum innatum, quia ibi non operatur appetitus innatus, sed elicitus, quia mediante cognitione, seu imaginatione movetur appetitus sensitivus, et voluntas si movetur, non in quantum libera movetur, sed per cognitionem non indifferentem. Non est ergo ibi violentum in actu quousque advertente ratione incipit resistere et repugnare voluntas: tunc enim incipit ille motus esse violentus ipsi voluntati, quatenus non potest reprimere aliam potentiam, quæ est appetitus sensitivus, et in illa violentiam patitur, et sic simpliciter ipsi homini est violentus ille motus, quia secundum principalem formam quæ est voluntas, repugnat, et vim patitur homo, juxta illud: *Domine vim patior responde pro me* Quare ille motus primo primus ante omnem advertentiam rationis solum habet rationem spontanei, seu voluntarii imperfecti, quia tunc non operatur voluntas, vel appetitus libere, sed ad modum bruti. Respectu autem voluntatis, ut liberæ, neque est voluntarius, aut violentus, vel invo-

luntarius privative, sed mere negative se habet. Diximus autem supra non sufficere ad rationem violenti mere negative se habere, sed requiri aliquam resistantiam.

VOLUNTAS IN ELICIENDO NON PATITUR VIOLENTIAM.

XIII. His suppositis, difficultas est, an voluntas possit pati violentiam in suis actibus. Quod potest triplici modo controverti. Primo, an possit pati violentiam in eliciendo: secundo, an possit violentari in cessando, seu non eliciendo aliquem actum, ut si impediatur operari, ipsa resistente: tertio, an possit pati violentiam in actibus imperatis, non quidem ex parte ipsius imperantis, sed ex parte potentiae imperatæ, et executionis ejus: nam imperium ex parte imperantis est actus elicitus, procedit enim, et elicitur ab ipsa potentia imperante, sicut actus imperans elicitur a potentia imperata, et mota.

XIV. Circa primum, difficultas, quæ tangit voluntatem, fere etiam procedit circa alias potentias activas propter rationem supra attactam, quia si aliquod agens vere agit, hoc ipso procedit actio ab activitate illius, et virtute: quæ intrinsece illi convenit, et consequenter est a principio intrinseco, ergo in agendo non violentatur. Si autem non agit, multo melius non violentatur in agendo, sed vel cessat ab omni actu, vel si agit est per virtutem impressam ab alio tamquam instrumentum, et utrumque si violenter fit, potius est pati violentiam, quam agere violenter.

XV. Quapropter, ut melius intelligatur, et resolvatur ista difficultas oportet duo præ oculis habere. Primum est, quod in voluntate aliud est pati violentiam: aliud agere, seu

elicere actum violenter. Nam ex his, quæ requiruntur in voluntate ad agendum, ut est propositio intellectus, concursus divinus, habitus aliquis, vel dispositio ad facilius operandum, si aliquid istorum auferatur ipsa voluntate repugnante, erit quidem violentia in voluntate, sed passiva, quia voluntas patitur in ablatione talis formæ: non autem est violentia in eliciendo ipsum actum, quia ista tolluntur antecederet ad actum, sicut quælibet aliæ formæ receptæ in aliquo subjecto possunt tolli violenter ab illo, si subjectum ipsum repugnat, et resistit; sed talis violentia consistit potius in pati, quam in agere, quia est circa ablationem formæ receptæ, non autem circa ipsam elicentiam actus, licet redundare possit hæc violentia in ipsum agere, quia ablato, vel impedito tali requisito ad agendum, cessat ipsa actio violenter, et contra conatum proprium voluntatis: et idem esset si voluntas posset suspendi ab omni actu, et relinqui tamquam mortua, ille status esset contra naturam voluntatis, et sic est illi violentus, et contra id, quod ejus natura petit; sed tamen non est violentia in eliciendo actum, sed potius est in cessatione actus, quod est pati violentiam.

XVI. Secundum quod advertimus est, quod cum violentum includat duas condiciones, ut supra diximus, scilicet quod sit a principio extrinseco, et quod passum repugnet, non est difficultas ex parte primæ conditionis, quia voluntas non potest operari tamquam a principio extrinseco, quia si elicit actum, vitali modo elicit, et voluntarie, et consequenter operatur per activitatem intrinsecam. Ex parte autem secundæ conditionis sunt aliqua argumenta quibus videtur probari, voluntatem aliquando elicere actum cum repugnantia, et conatu ad op-

positum; et tunc videtur currere difficultas, quia si potest dari repugnantia in eliciendo; ergo datur violentia in eodem genere, in quo datur repugnantia.

XVII. Sit conclusio: Voluntas in eliciendo actum suum non patitur violentiam, nec est capax illius, sed hoc ipso, quod elicit, ille actus non est violentus, sed voluntarius. Hæc conclusio communiter traditur a theologis in II, distinctione xxv, et ibi Scotus, Richardus, Durandus, Gabriel, Bonaventura, et alii, D. Thomas in hac quæstione VI, articulo IV. Et ibi communiter interpretes, Cajetanus, Medina, Conradus, Lorca, Vazquez, Montesinos, et alii; Angestus tamen in suis moralibus, capite tertio in expositione textus, dicit quod licet voluntas non possit violentari, potest tamen cogi habendo actum contra propriam inclinationem, distinguens inter coactum, et violentum, quod tamen nos pro eodem reputamus quantum ad præsentem conclusionem.

XVIII. Fundamentum conclusionis est, quod traditur a D. Thoma citato, quia actus elicitus a voluntate nihil aliud est, quam quædam inclinatio ejus actualis procedens a principio intrinseco cum cognitione finis, ergo essentialiter est voluntarius, id est, procedens a voluntate, et consequenter opponitur violento. Antecedens constat, quia ille actus cum sit elicitus regulatur per cognitionem finis: si quidem in hoc distinguitur appetitus elicitus ab innato, quod ille est cum cognitione, iste autem sine illa: ex eo autem quod est actus elicitus a voluntate, debet esse ab illa, tamquam a principio vitali, et intrinseco per modum inclinationis, et appetentiæ, vel nolitionis, sicut actus elicitus ab intellectu est intellectio, et actus elicitus a sensu est sensatio, ergo elicitus a voluntate est volitio, seu